

neplacito, benedicturum sese Deus promisit, eo modo, ut vi & operatione solius Spiritus sancti, sequatur auditus internus, assensus, fides, illuminatio, conversio.

59. Vanus ergo est clamor cujusdam Aristarchi, qui nuper Ecclesiarum nostrarum Doctoribus, *συνεργείας* errorem ideo impingere publico scripto haud dubitavit, quia illi viribus humanis, & libertati voluntatis hominis nondum renati, facultatem externam audiendi verbum Dei, concedunt & largiuntur.

60. Caterum, ut ad institutum redeamus: Quoad actiones internas & verè spirituales, quas materiam impropriam Liberi Arbitrii in hoc corruptionis statu nominamus, stinguimus cum confessione nostra, hominem nondum renatum, servum potius, quàm Libertum habere Arbitrium.

61. Homo enim animalis non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: siquidem stultitia est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur. 1. Cor. 2. 14.

62. Hinc figmentum cordis malum esse dicitur ab adolescentia. Gen. 8. 21. Affectus carnis inimicitia adversus Deum. Rom. 8. 7. ita quidem, ut solus Deus in nobis operetur & velle & perficere. Phil. 2. 13.

63. Hinc scriptura omnem viribus humanis *δύναμιν* sive facultatem perficiendi bonum, ac proinde ipsam quoque voluntati libertatem in bonis
 spiri-